



LECTORI SPECTATORI.



QUANTA sit ordinis S. P. N. BENEDICTI dignitas & præstantia, vel ex solo Monasteriorum numero, quæ ejus vivendi normam sequebantur, perspicue intelligi potest. Nam, ut fide digni Auctores prodidere, eadem numerum triginta septem millium (absque præposituris, & sanctimonialium Monasteriis, quæ numerum quindecim millium excedebant) attigisse feruntur. A principio quidem Heremitæ Christiani nulla certa norma, aut regula victitabant, quod quisque DEO auctori, & liberatori maxime gratum & delectabile regebatur, magisque procul ab omni mortalium contagio, ad id incumberebat. Itaque alii speluncis sese includere humanæ conversationis penitus expertes, alii statu erecto, & immobili, tamquam cælo, non solo adfixi, ætatem habere, plures silvis densissimis inter ferarum receptacula, vitam colere, omnes postremo innocentia, precibus, vigiliis, abstinentia, jejuniis Conditori suo perplacere, & ad perfectionem vitæ, diversa via niti.

Sed posteaquam S. BASILIUS apud Orientem, in Occidente, S. B. N. BENEDICTUS dispersos monachos in cœtus cogere, certisque legibus, veluti bene fundata Civitate, collectos inter se habere, instruere, firmare, cœperunt, incredibile dictu est, quantus ad eam vitæ formulam utroque orbe factus sit concursus. Itaque brevi Italia, mox Hispania, Gallia & Anglia, postremo & Germania, cæteræque provinciæ BENEDICTINORUM conventibus, & collegiis refertæ.

Atque ut alias regiones taceam, Germania nostra non solum innumera, verum etiam illustrissima habuit Monasteria. Ac ne putemus Abbates eorundem cum suis monachis, quod antiquitus Germani solebant, in tuguriis habitasse; passim videas in his terris amplissima excitata Monasteria à Catholicis principibus, ut, qui in illa se abdebant, honeste possent ali, & educari tam ad pietatem, religionem, morumque honestatem, quam ad omnem disciplinarum liberalium informationem. Porro ex his prodierunt, non solum sanctitate vitæ clarissimi, verum etiam excellentissimi in omni doctrinarum genere viri.

Tanta vero fuit adhuc utilitas illorum, ut magnificentissimæ urbium nostratum sint edificatæ propè ista. Unde enim Civitas Sangallensis in Turgovia, nisi ex Monasterio S. GALLI. Unde Campidona, unde Werdea Suevica, unde aliæ complures, pagi, oppida, nisi ex Monasteriis; quibus conditis, statim accurrerunt aliunde alii, constructisque domiciliis loca incolere cœperunt, & in dies quidem magis ac magis, donec in urbes, oppida, pagos excrescerent. Occasione cœnobiorum in Germanicis provinciis oppida ista fieri cœpta sunt, inquit B. Rhenanus lib. 2. rerum Germanicarum.

Nec tantum à Monasteriis ortum ducebant, sed & iisdem plerumque subjiciebantur; tametsi non pauca ex hujusmodi urbibus, ubi divitiis & multitudine civium invaluerant; excusso subjectionis jugo, in libertatem se asseruerunt.

Adjunctæ olim iisdem Monasteriis erant scholæ, in quibus & tenerior ætas ad ætula huic consentaneas literas informabatur; & maturior ad maturiores ac severiores. Præerant scholæ doctissimi quique & probatissimi Monachi, hoc tamen discrimine, saltem aliquibus locis, ut duplices essent scholæ; aliæ internæ, Religiosis erudiendis dicatæ; aliæ externæ, in quibus seculares, procerumque & nobilium liberi instituebantur: quam scholarum distinctionem reperires apud Ekerhardum in B. Notkeri vita. De hoc eodem instituto præclare scripsit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & post multa hæc subjungit. Magna in eis fervebat devotio: arsit in eorum mentibus regularis disciplinæ zelus commendandus, qui eos nunquam sinebat esse otiosos: salvo enim officio divino, cui omnes devote insistebant, de reliquo Monachii studio vacabant scripturarum, qui-

bus non solum illuminabantur intellectu, sed etiam compungebantur affectu. Nunc consilii mei rationem paucis exponam. Collegeram ante non paucos annos ordine Alphabetico, aliquot centena supra mille ordinis nostri Monasteria, sed dum editionem differo, eaque augere, & origines ac progressus eorundem penitus indagare laboro, ecce prodeunt in lucem Origines Benedictinæ à R. D. Auberto Miræo editæ. Nostram itaque collectionem suppressere, & tenebris sempiternis obruere constitui: non defuerunt tamen viri quidam reverendi, non tam doctrina, quam dignitatibus Ecclesiasticis præfulgidi, qui, ut etiam foetum illum meum publici juris facerem, urgere non destiterunt. Cum ergo viderem, virum alioqui doctissimum, Bruscbio, qui res Monasticas non bona fide tractavit, nimis fideliter inbæsisse; bonis consiliis cedendum, rursusque manum operi admovendam esse sum ratus. Et quoniam priora consilia novis ac melioribus mutare consiliis, & promissa factis vincere in his, quæ publicis rationibus expediunt, mihi semper visum ex intima laude liberalitatis, idcirco acuratus in historias inquirere animum induxi, ita tamen, ut non absolum fidei ducam, quin à nobis item, ut fert humana conditio, sive dormitantibus interdum, & peccata quæ *μνηστικὰ ἀμαρτήματα* vocantur peccantibus, sive hallucinantibus, quædam literis sint prodita, quæ doctiorum, si qui fortè labores nostros non contempserint, ungue notari possint, cum nemo facile queat omne offensionis, aut prolapsionis, aut errationis periculum evitare. Persapienter enim Quintilianus monet: Legentes non sibi persuadeant, omnia, quæ magni auctores dixerunt, esse perfectæ. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt. Hoc minutis auctoribus quanto debet esse solatio? Omnium memoriam habere, & in nullo penitus peccare, divinitatis est potius, quam humanitatis, inquit Justinianus Imperator. Non erubescimus igitur nos hominum similes confiteri, id est, lapsos alicubi, & labi posse: & meminimus, unum esse Deum *μόνον σοφόν*, qui decipi non potest.

Igitur si hic lapsus, tibi videor, ignosce lector, & candorem tuum proba, ut, si forte occurrant errata, ea ex ingenii felicitate restituas.

Ordinem, non in Monasteriorum dignitate, sed ætate servavimus, ut sequitur.

SS. UDALRICI ET AFRÆ AUG.	EINSIDELN CMVI.
VIND. CCCIII. Ord. CIXXII.	PETERSHAUSEN CMLXXX.
S. PETRI SALISBURGI DCXVI.	SEON CMXCIV.
S. MAGNI in Faucibus DCXLVI.	S. CRUCIS Werdææ MXXX.
S. EMMERAMI Ratisponæ DCXCVII.	LAMBACH MLVI.
MANSEE DCCXXXIX.	SCHEUREN MLXXVII.
BENEDICTBEURN DCCXL.	NÖRESHEIM MXCV.
NIDERNALTAICH DCCXLI.	ELCHINGEN MCXXVIII.
TEGERNSEE DCCXLVI.	URSIN MCLXXXII.
THIERHAUPTEN DCCLXX.	S. MONS ANDEX MCXX. MCDLV.
CAMPIDONA DCCLXXIII.	DECKINGEN CIJ C. XXXVIII.
METTEN DCCC.	

SERIE
MONASTERIORUM HEIC
CONLOCATA
NEMINI PRÆJUDICATUM
ESTO.

MONA-